



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvvm Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

35. Evdoxiæ vxoris votum de non mentiendo potest Maritus eius irritare,
nullumque declarare.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

Resp. 2. Ceruum ad Ismaëlem pertinere, si ita leuiter ab Esau fuit tactus, vt capti ab ipso non posset. Ita cit. Author, qui rectè ait §. *illud quaesitum. & l. naturalem. cit.* ex communi Authorum in hunc sensum intelligi. Ratio est, quia Esau suo ictu non ita apprehendit ceruum, vt iste suam naturalem libertatem amisisse censeretur, sed hanc libertatem primum Ismaël altero ictu abstulit, & ceruum in suam redegit potestatem. Ergo &c. Resp. 3. Si dubium sit, num ceruus primo ictu ab Esau tactus euadere potuerit, tutius quidem esse, quod scēt Laym. *l. 3. Tr. 1. c. 5 num. 12.* vt inter vtrumque iuxta proportionem dubij diuidatur, sed fortè non necessarium; nam si dubium inde oriatur, quod vulnerator difficulter ceruum capturus fuerit, censebitur ceruus retinuisse naturalem libertatem suam. *l. naturalem. cit.* adeoq; pertinere non ad Esau vulnerantem, sed ad Ismaëlem primò occupantem, vt rectè Dicastillo *loc. cit. n. 331.* Atque sic patet etiam ad rationem in contrarium.

XXXV. *Eudoxia ob grauisimum malum, quod leui mendacio sibi alijsque peperit, iuramento promittit DEO, nullum deinceps mendacium cuiuscunque rei causâ se facturam, quod rescuens maritus eius Theodosius, ne Eudoxia nimis inde anxia reddatur, votum illud ac iuramentum irritat, nullumque declarat. Queritur. An hoc potuerit?*

Videtur non potuisse. Ita Nauarr, Azor,

Hh 4

Suarez,

Suarez, Lessius & alij plures, quos refert & sequitur Palao Tr. 15. D. 2. pun. 6. n. 2. Mouentur, quia vxor non est quoad hoc subiecta viro, neque votum istud est præiudiciale marito, cum nec vsui matrimonij, nec educationi prolis, nec gubernationi domûs obstat.

Resp. Theodosium votum ac iuramentum Eudoxiæ suæ, stante matrimonio, de non-mentiendo emissum potuisse irritare. Ita cum aliis P. Thomas Sanchez, L. 9, de Matr. D. 3. n. 7. & D. 39. n. 4. Item L. 4 in Decal. c. 34. n. 3. Vbi grauissimè contendit, maritum omnia vota vxoris (sive sint libera, sive obligatoria) stante matrimonio edita irritare posse, quam sententiam absolutè admittit Facundez L. 2. in Decal. c. 37. n. 12. & probabilem atque in praxi tutam iudicant Palao loc. cit. Lessius L. 2. de Iustit. c. 40. dub. 15. n. 88. & alij. Probat. Tum ex lib. Num. 30. Vbi eodem modo sacer textus loquitur de voto vxoris, ac de voto puellæ existentis in domo Patris, Tum quia Vxor subiecta est viro in omnibus, sicut Ecclesia subiecta est Christo ad Ephes. 5. Ergo omnes eius actiones viro subiectæ sunt. Tametsi igitur Maritus & Vxor pares sint quoad obligationem non-mentiendi: item quoad libertatem non petendi debitum, adeoque neuter coniugum alteri sit subiectus, at tamen subiicitur vxor Marito tanquam capiti, atque idcirco huius est, dirigere vxorem, ne imprudenter voyeat ac iuret.

Ad rationem in Contrarium dicimus, esto materia huius ac similibus votorum non sit subiecta marito, est tamen voluntas vxoris eidem subiecta, & ita Eudoxia à Theodosio est dirigenda, ne nouis implicata obligationibus ad matrimonij onera, educationem prolis, & familiæ gubernationem ac sociale vitam minùs inde apta reddatur.

XXXVI. Euentius Campsor dedit Norinbergamille florenos Euentiano Campsario, qui spondet solutionem Francofurti, vbi tamen nullam habet pecuniam, nec aliquem notum, qui id onus in se recipiat. Campsor ergo suum correspondentem seu Factorem ibi positum Campsario accommodat eius nomine sibi satisfacturum, qui ex composito recambit, seu nouas litteras cambij ad primum campso remittit, iubens accipere solutionem à primo Campsario, quo fit, vt Euentianus ibidem debeat soluere, vbi primò accepit, & quidem geminà iacturà duplicis cambij. Queritur. Vtrum istud recambium (quod aliqui recursæ vocant) sit licitum & iustum?

Videtur illicitum. Ita Molina de just. Tr. 2. D. 404. Sotus de just. l. 6. q. 10. art. 1. Tanner Tom 3. D. 4. q. 7. n. 149. Antonius Merenda Tr. de Camb. Nundinali. c. 2. n. 108. & præter alios latissimè Paulus Comitulus in resp. moralib. l. 3. resp. quest. 15. & 16. Mouentur. Tum quia quandocunque solutio datæ pecuniæ eodem loco repetitur, signum est mutui. Atqui hoc

Hh s

fit